



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXCIV. Ioannis Papae VIII. Ad Athanasivm Episcopvm  
Neapolitanvm. Ab excommunicatione eum absoluit, & ministerio  
sacerdotali restituit, dummodo pactum cum Sarracenis initum, sicut ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## EPISTOLA CCXCIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ATHANASIVM EPISCOPVM NEAPOLITANVM.

Ab excommunicatione eum absoluit, & ministerio sacerdotali restituit, dummodo pactum cum Sarracenis initum, sicut promiserat, rumpat, & ex eis aliquos, ceteris iugulatis, captos mittat, nec deinceps cum eis fœdus feriat.

*Athanasio episcopo Neapolitano.*

**B**ONI pastoris eximio informati exemplo, qui venit quærere & saluare quod perierat, tanto tempore te per deuia errantem, abiecto Christi leui iugo, cum infidelibus iugum obscœna cupiditate ducere non dubitantem, quamuis fero ad te percutientem reuerti velle mandasti, alacriter recipimus, & inter ceteros confacerdotes nostros præcipue honorabilem cupimus retinere; prout ipse nos iam olim fecisse procul dubio reminisceris. Sed quia tua exigente sceleris tanti audacia, sancti Spiritus iudicio te a confortio nostro diuini mysterii iure submouimus; nunc secundum preces tuas, & relationem Petri venerabilis diaconi tui, si modo pactum quod hæctenus cum impiis Agarenis habuisti, manifesta deuotione fregeris, & ab eorum nequissima societate toto conamine te separaueris, atque si præsentibus his missis nostris, Marino videlicet reuerendissimo episcopo & sanctæ sedis nostræ arcario, & Siconi egregio viro, maiores Sarracenorum quantos melius potes, quos nominatim quærimus, cum aliis omnibus ceperis, & iugulatis aliis, eos nobis direxeris, a vinculo excommunicationis absoluimus, & iuxta præcedentem consuetudinem episcopale officium reddimus. Eo scilicet modo, vel tenore, vt captis & traditis antea, vt dictum est, Sarracenis, deinceps nullum cum eis vltius fœdus quomodo inire præsumas. Nam si cum illis iterum pactum aliquod facere tentaueris, in eadem te excommunicatione manere sancimus, & auctoritate Dei omnipotentis, & beati Petri apostolorum principis & nostra, omni episcopali honore te priuandum, & perpetuo anathemate damnandum esse decernimus.

Vu iij